

*Academiam, et siste viro, ut aliquem ex ejus quoque colloquio fructum colligamus.* At ille leniter subridens, quemadmodum solebat: *Ego vero, inquit, ille ipse sum.* Obstupere illi, quod socium tamdiu habuissent tantum virum, ignorantes: intellexeruntque, posse eum sibi conciliare animos eorum, quibuscum ageret, etiam sine consuetis illis de philosophia sermonibus.

Magna est admiratio copiose sapienterque dicentis: quem qui audiunt, intelligere etiam, et sapere plus, quam caeteros, arbitrantur. Si vero inest in oratione mista modestiae gravitas, nil admirabilius fieri potest; eoque magis, si ea sunt in adolescente.

## CAPUT XVI.

NON REFERT, QUAM MULTOS, SED QUAM BONOS LIBROS  
HABEAS AC LEGAS.

1. Est lectio necessaria: alit enim ingenium, et studio fatigatum, non sine studio tamen, reficit. Nec scribere tantum, nec tantum legere debemus: — invicem hoc illo commutandum est, et alterum altero temperandum, ut quidquid lectione collectum est, stilus redigat in corpus. Apes (ut ajunt) debemus imitari, quae vagantur, et flores ad mel faciendum idoneos carpunt: deinde quidquid attulere, disponunt, ac per favos digerunt.

Alimenta, quum ex eo, quod erant, mutata sunt, tunc demum in vires et in sanguinem transeunt. Idem in his, quibus aluntur ingenia, praestemus. — Concoquamus illa.

2. Lectio multorum auctorum, et omnis generis voluminum, habet aliquid vagum et instabile. Certis ingeniis immorari, et innutriri oportet, si velis aliquid trahere, quod in animo fideliter sedeat. — Lectio certa prodest,